

ipsi vocationi assentiendo. In assentiendo autem, cooperatio fit cum ipso concursu divino concomitante: supponitur autem præcedere excitans auxilium, et movens. Et cum instatur quod Concilium dicit nos cooperari ipsi Deo vocanti et excitanti, respondetur cooperari nos Deo vocanti, non cum ipsa vocatione partialiter concurrendo, sed divinæ vocationi per assensum respondendo. Nec enim dicit Concilium nos cooperari vocationi divinæ, quasi ipsa vocatio sit cooperans gratiæ, quæ partialiter concurrat cum libero arbitrio ejusque nativæ facultate, sed dicit, quod: « Assentiendo Deo vocanti, et excitanti, cooperamur; » ita quod ly cooperamur non debet construi, et conjungi cum ly vocationi, sed ly assentiendo construi debet cum ly vocationi, et ly cooperamur cum Deo, ita quod assentiendo vocationi, cooperamur Deo; sed cum ipsa gratia cooperante, quæ post excitationem, quæ est operans datur: sed tunc quando cooperatur liberum arbitrium cum ipsa gratia cooperante, jam supponitur liberum arbitrium motum, et excitatum, et consequenter elevatum, et sub illa ratione elevati cooperatur, non sub ratione nativæ facultatis.

Ad confirmationem respondetur, quod remota activitate tam radicali et remota, quam formali et proxima, id quod remanet, nihil activitatis habet, sed passivitatis, et tamquam inanime est. Remota autem activitate formali tantum, et elevante, seu proportionante, remanere potest non aliquid mere passivum, sed activum improprietate, et remotum, seu radicale activum quod per virtutem supernaturalem tamquam per rationem agendi superadditam proportionandum est. Quare non se habet voluntas humana ut aliquid pure inanime, et

passivum, sed ut vitale activum elevabile, et proportionandum per gratiam, de se autem improprietate, et solum obedientialiter potens in illum actum non proportionate, et proxime, etiam partialiter, sed totalem proportionem accipiens ex gratia, in se autem activitatem supponens, quæ ut elevata, vitaliter operetur actus supernaturales, ly ut dicente rationem formalem talis operationis. Ad auctoritatem Augustini respondetur, quod optime dicitur, quod nos facimus hoc ipso quod Deus est adiutor, non autem quod nihil facimus, quia ipso adiutorio, elevamur ad faciendum, et rationem formalem agendi ab ipso adiutorio accipimus, qua posita, ipsa activitas vitalis naturalis sic elevata operatur. Non autem Augustinus dicit, quod nos partialiter facimus cum ipso adiutorio, sed quod ipsum nomen adiutoris nos admonet quod aliquid facimus: salvatur autem quod facimus ipso adiutorio se habente ut ratione formali proportionante proxime ad agendum, non autem ut partiali cum principio tantum.

## ARTICULUS V.

*Utrum res, et opera bona naturalis ordinis sunt effectus prædestinationis?*

I. Ea quæ pertinent ad ordinem naturalem in præsentia, in tria capita dividi possunt. Primum est, ipsa substantia prædestinati, quæ se habet ut subjectum receptivum eorum, quæ per prædestinationem homini a Deo conferuntur. Et in ipsa substantia prædestinati etiam includuntur ea, quæ talem substantiam componunt, et ad eam pertinent vel reducuntur, sicut est temperamentum, ingenium, vires, re-

liquæque proprietates, imo et ipsa mors, sic vel sic contingens, talis nativitas, educatio, etc.

Secundum est, opera naturalis ordinis moraliter bona, procedentia ab ipso prædestinato.

Tertium est, res externæ naturales ipsis prædestinatis deservientes, et quibus tamquam instrumentis vel adjumentis utuntur ad virtutem. Et ideo de singulis breviter dicendum est.

Dependet autem resolutio circa omnia ista ex duobus præsuppositis.

Primum est, quod dupliciter potest aliquid esse effectus prædestinationis, scilicet elicitive et proxime, vel imperative et remote, quæ distinctio videri potest supra ex S. Thoma. Elicitive dicitur effectus prædestinationis, quod conducit ad finem supernaturalem, tamquam medium supernaturale, et ejusdem ordinis cum illo; et sic a supernaturali providentia, eaque efficaci elicitor. Imperative dicuntur pertinere ad prædestinationem, quæ sunt inferioris ordinis, seu naturalis; et sic mediantibus aliis causis, et directione naturalis providentiæ, a prædestinatione fiunt, quatenus inferior providentia, et directio subordinantur superiori, sicut inferioriudicium seu tribunal, supremo: natura enim subordinatur gratiæ, et ordo naturalis supernaturali, tamquam superiori.

Secundum quod advertimus est, quod ea quæ prædestinationi subjiciuntur, vel ab ea causantur, possunt se habere, vel per se, et ex propriis conducentia ad talem finem, vel ut occasionem præbentia, aut ministerialiter deservientia ad ipsam operationem gratiæ, et consequenter ad effectum prædestinationis. Quo posito:

II. Dico primo: In prædestinatione ad gloriam, ipsa substantia præ-

destinati secundum se præcise, neque elicitive, neque imperative est effectus prædestinationis. Cæterum secundum suas circumstantias, et ordinem quo producit, puta talem nativitatem, ex talibus parentibus, tali temperamento, et ingenio, et aliis similibus, non repugnat esse effectum prædestinationis imperative. Loquor de prædestinatione ad gloriam, quia de prædestinatione ad unionem hypostaticam alia est ratio: ibi enim ipsamet substantia, id est, persona prædestinati, ut unita, est gratia; et sic non debet distingui terminus prædestinationis a subjecto, seu substantia, nisi ratione tantum, id est, persona illa ut subrogata loco humanæ, et constituens hominem, est subjectum sub hac præcisa formalitate, eadem autem persona ut constituens hominem Deum in tempore, et per unionem, seu communicationem temporalem est terminus prædestinationis, quia est maxima gratia facta illi homini, seu illi personæ ratione humanæ naturæ, licet nulla sit gratia facta illi personæ secundum se, et ut divina. Vel secundo, ibi non fit gratia seu beneficium, et prædestinatio subjecto, et personæ in se, sed ipsum subjectum ut unitum, et communicatum naturæ humanæ est gratia; et sic prædestinatur ipsa persona, seu subjectum, non ut sibi fiat gratia tamquam termino cui, nec enim ibi datur, sed prædestinatur persona ut ipsamet sit gratia, et donum collatum naturæ; et sic aliud est id quod prædestinatur, aliud est cui fit gratia, et beneficium. Fit quidem beneficium ipsi naturæ, sed prædestinatur persona tamquam gratia ipsa substantialis, quæ non sibi est gratia, sed naturæ cui communicatur. Itaque aliud est quid in hac prædestinatione sit gratia, aliud respectu cujus gratia sit. Gratia est ipsummet subjectum, seu persona,

non tamen est gratia respectu sui, sed ut communicata naturæ, non quod natura sit subjectum, sed terminus in ordine ad quem ipsa persona induit rationem gratiæ ut communicata illi. Et sic ipsum subjectum prædestinationis est gratia, supponendo illam communicationem naturæ; sicut si ipsa gratia esset substantia, ipsamet gratia esset subjectum, et forma prædestinationis. Sic ipsa Persona divina, ut communicata, est subjectum, et forma gratiæ prædestinata.

III. Omissa ergo hac prædestinatione substantiæ, quæ solum est Christi, et loquendo de prædestinatione ad gloriam, qualis est in nobis, conclusio posita duas habet partes.

Prima, de ipsa substantia prædestinati, secundum se, quod non sit effectum prædestinationis, et hæc tenetur a pluribus Thomistis in præsentia, et videri potest Cajetanus III p. q. I, art. III; Alvarez ibidem; Gonzalez hic disp. LXXII, sect. I; Corneso hic disputatione unica, dub. III, præter alios plures recentiores. Et fundamentum videtur certum, quia substantia prædestinationis secundum se, et omni alio respectu, et circumstantia seclusa, est indifferens ad prædestinationem, et reprobationem, et de se aliquid pure naturale: ergo nisi addatur aliquis respectus, vel ordo, aut circumstantia respiciens supernaturalem finem, non est effectus prædestinationis. Antecedens constat, cum idem homo qui prædestinatur sit capax reprobationis, et e contra: ergo est indifferens ad utrumque. Consequentia vero est certa, quia quod est indifferens ad duplicem finem, nisi determinetur ad unum illorum, non est effectus illius, neque subordinatur illi, aut providentiæ disponenti, et dirigenti in ordine ad illum: ergo cum prædestinatio sit providentia specialis tra-

ducens ad finem supernaturalem, oportet quod effectus talis providentiæ, in quantum effectus illius, sit effectus, non sub indifferentia, sed sub respectu, et ordine ad talem finem. Hic autem respectus non potest fundari in substantia ipsa prædestinati secundum se, quia naturalis est, et indifferens ad finem prædestinationis; ergo substantia prædestinati secundum se, et omnia alia circumstantia remota, non est effectus prædestinationis,

Et confirmatur, quia effectus prædestinationis debent esse inter se connexi, et cum fine prædestinationis ad quem tendunt, alias non caderent sub unum ordinem, et gubernationem perfectissimam, qualis est prædestinatio, ac substantia prædestinati secundum se non habet connexionem cum ipso fine prædestinationis: potest enim tota hæc substantia prædestinati remanere, et stare non stante, nec remanente illo fine supernaturali prædestinationis, sed potius cadendo ab illo, ut patet in reprobo, aut non habendo ordinationem ad illum, ut patet in statu puræ naturæ: ergo de se non est effectus prædestinationis.

IV. Dices: Hoc est commune omni rei naturali: nulla enim secundum se, et sistendo in ratione puræ naturæ, est effectus prædestinationis, sed ut ordinata ad finem supernaturalem: ergo nihil speciale dicimus de substantia ipsa prædestinati, nisi id quod a nemine negari potest, scilicet quod secundum se, et in sua indifferentia stando, non est effectus prædestinationis.

Respondetur esse quidem commune omni rei naturali, ut non possit esse effectus prædestinationis secundum se immediate, et elicitive, sed solum imperative, atque adeo interveniente aliquo respectu, et ordine ad finem supernaturalem: sed tamen quia substantia prædesti-

nati se tenet ex parte subjecti, et non mediorum, quæ ministrare possunt ipsi prædestinationi, et ab ipsa imperari, et disponi, specialis difficultas in ipsa currit quomodo a prædestinatione attingatur, quia non videtur posse imperari cum non sit medium, nec præsupponi, quia prædestinatio ex eo quod divina est, ita est efficax ut omnia facere possit, etiam ipsum subjectum, et nihil præsupponere, et sic videtur quod ad ipsam prædestinationem ad quam pertinet transmittere hoc subjectum ad gloriam, pertinebit etiam ipsum subjectum producere, et habere ipsum pro effectu. Ad explicandum ergo quomodo effectus prædestinationis esse possit, et sub quo respectu, oportuit distinguere de ipsa substantia prædestinati secundum se, et ut subest alicui circumstantiæ, vel rationi ordinanti ad talem finem, et ostendere quomodo sub priori consideratione effectus non sit, licet subjectum sit.

V. Secunda pars conclusionis, nempe quod substantia prædestinati sub aliqua circumstantia, aut ordine, seu modo quo producit, possit esse effectus prædestinationis, tenetur a pluribus auctoribus, præsertim Thomistis. Tenet eam M. Bagniez hic a. II, dub. II; Nazarius eodem articulo, controversia unica, et art. I, contrav. II, notab. IV, in fine; Carmelitani super eundem articulum II, disp. II, dubio unico; Villegas contrav. XV. Sequitur etiam p. Suarez lib. III de prædestinatione, c. VII, et lib. VI, c. IV; Grana-dos, Valentia, Carthagenæ, et alii. Sed quod me magis movet est auctoritas S. Thomæ in I, dist. XLI, q. I, artic. IV, ubi inquit quod: « Omnis causa, cujus operatione interveniente completur effectus prædestinationis, dicitur prædestinationem juvare, vel per modum causæ meritoriae, vel persuadendo ad bonum,

vel per modum dispositionis, vel etiam naturali operatione, sicut motus cæli, ut omnes causæ, naturales juvant prædestinationem, in quantum earum officio perficitur generatio, et sustentatio electorum. » Ecce quomodo dicuntur causæ naturales juvare ad effectum prædestinationis, et ipsam prædestinationem juvare, quatenus eorum officio perficitur generatio electorum. Ipsa ergo generatio inter effectus prædestinationis computatur, quia causa naturalis eam perficiens dicitur juvare prædestinationem, dum facit generationem. Generatio autem prædestinati ad ejus substantiam pertinet: ergo substantia prædestinati, ut generata, ad effectus pertinet prædestinationis. Facit etiam ad eandem rem quod dicit S. Thomas in hac quæstione XXIII, art. VIII, in argumento Sed contra, ubi inquit, quod: « Isaac rogavit Dominum pro Rebeccæ uxore sua, et dedit conceptum Rebeccæ. Ex illo autem conceptu natus est Jacob, qui prædestinatus fuit: non autem fuisset impleta prædestinatio, si natus non fuisset: ergo prædestinatio juvatur precibus sanctorum. » Quæ consequentia esset nulla, si substantia, et nativitas prædestinati non esset effectus prædestinationis.

VI. Et fundamentum sumitur ex dictis, quia non est dubium res omnes naturales, et præcipue ipsam substantiam, et corpus ipsum prædestinati ordinari ad gloriam, et ad finem prædestinationis, et subjici Christo, ut redemptori, qui suscitabit corpora nostra configurata corpori charitatis suæ: ergo licet ex se, et ut res naturales præcise, non sint effectus prædestinationis, tamen ut ordinatæ, et subordinatæ ipsi gloriæ, effectus prædestinationis sunt ratione talis ordinis. Antecedens sine dubitatione est, cum ex ipsa Scriptura manifeste constet,

ubi dicitur omnia præter Deum subiecta esse Christo, et sub pedibus ejus posita, ad Heb. II: *In eo quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei*: I ad Corinth. XV: *Cum dicat, omnia subjecta sunt ei, absque dubio præter eum qui subjecit ei omnia*. Et utrobique adducit Apostolus in confirmationem illud Psalmi VIII: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, idque de Christo explicat. Si ergo ita universaliter omnia subjiuntur Christo, ut redemptori, quod nihil dimittitur non subjectum ei præter ipsum Deum: ergo et ipsum corpus et substantia, et vita prædestinati sub aliquo respectu sunt effectus redemptionis Christi, et sunt causati ab ipso, quia sub aliquo respectu subjiuntur illi ut redemptori: ergo habent ipsum ut redemptorem, et glorificatorem pro fine cui subjiuntur: ergo ab ipso causantur: ergo sunt effectus ejus. Consequentia vero probatur, quia ut aliquid sit effectus prædestinationis imperative, non requiritur quod secundum substantiam absolute sit effectus ejus, aut sit aliquid supernaturale, sed sufficit quod sub aliquo respectu, et ordine ei subordinetur: illud enim imperative est effectus alicujus, quod ordinatur ad finem imperantis ut ad finem extrinsecum, et accidentalem rei imperatæ: virtus enim, seu potentia imperans non dat substantiam, et essentiam actui: sic enim eliceret illum, non imperaret, sed aliquid accidentale dat illi, sicut patet in charitate, aut religione quando imperant alicui inferiori virtuti, v. g. temperantiæ, aut fortitudini: nec enim a charitate imperante habent tales actus temperantiæ substantiam, et essentiam propriam, sed solum ordinem, et respectum accidentalem ad finem charitatis, et sub hoc respectu, et ordine sunt effectus talis virtutis imperantis: imperans enim

solum movet et inducit ut aliquis actus fiat, non speciem ei præbet, sed supponit: et sic solum attingit rem imperatam sub aliquo respectu accidentali, non quantum ad substantiam, et speciem secundum se. Sic ergo similiter ut aliquid sit prædestinationis effectus imperative, sufficit quod sub aliquo respectu, et ordine accidentali ei subjiatur, et non quoad substantiam, et speciem absolute, et in se consideratam. Constat autem prædestinati substantiam sub aliquo respectu subjiungi glorificationi, et redemptioni per Christum, sicut et omnes creaturæ subjectæ sunt ei: ergo est effectus redemptionis, et prædestinationis per Christum imperative.

VII. Sed objicies primo: Nam substantia prædestinati non potest esse medium ad prædestinationem consequendam, sed subjectum: ergo non potest esse effectus prædestinationis. Consequentia patet, quia effectus prædestinationis est ipsa transmissio, vel medium quo fit ipsa transmissio prædestinati ad gloriam: substantia autem prædestinati nec est ipsa transmissio, nec id quo prædestinatus transmittitur ad gloriam: ergo non est effectus prædestinationis: sicut homines qui gubernantur a principe, non sunt effectus gubernationis, sed a gubernatione supponuntur: ergo nec in se, nec ratione alicujus circumstantiæ potest ipsa substantia prædestinati esse effectus prædestinationis.

VIII. Secundo, et fortius urgetur: Nam ante decretum prædestinationis Christi, supponebatur substantia Adami, et ejus productio, si quidem supponebatur prævisum peccatum Adæ, ante incarnationem, in sententia S. Thomæ: ergo saltem substantia, et productio Adæ non potuit esse orta ex prædestinatione Christi: ergo neque ex præ-

destinatione Adam, quia hæc supponebat prædestinationem Christi, ut causam sui. Rursus idem videtur dicendum de omnibus ab Adam descendentibus, si quidem ante decretum incarnationis non solum persona Adam, sed totum genus humanum supponebatur infectum peccato, et omnes homines in singulari: ergo etiam supponebantur ab Adam generati, et descendentes in esse naturali, sicut et in esse morali peccati: nec enim peccatum prævidebatur nisi in subjecto talis peccati, et in concreto non in abstracto: ergo eorum productio, et substantia non ponit causari, et esse effectus prædestinationis, quia si supponebatur jam facta, et prævisa ante incarnationem: ergo et ante ipsorum prædestinationem, quia prædestinatio hominum præsupposuit incarnationem, hæc autem præsupponebat substantiam, et productionem eorum in esse naturali jam executam, et prævisam: non ergo potuit iterum reproduci a prædestinatione, ut esset ejus effectus sub quacumque circumstantia aut respectu consideretur.

IX. Tertio, urget illud argumentum, quia ante voluntatem prædestinandi et eligendi hos determinatos homines præ aliis, intelligitur in Deo voluntas inefficax salvandi omnes homines: hæc enim generalis voluntas inefficax præcedit illam specialem, qua discernit prædestinatos a reprobis, sed illa voluntas generalis volendi salvare omnes homines supponebat eorum substantiam, et esse: versabatur enim circa illos, non tamquam circa possibles, sed tamquam circa futuros, et ad hoc universum pertinentes: hos enim vult Deus salvos fieri, non illos, qui solum sunt pure possibles, ergo a fortiori prædestinatio, quæ sequitur post istam generalem providentiam, supponit hominum præ-

destinatorum substantiam: ergo non causat illum, nec est effectus ejus, etiam secundum aliquem respectum, quia quod supponitur absolute executum, non potest sub aliquo respectu ejus effectus reddi a quo supponitur executum: sic enim esset iterum produci.

Ultimo, quia cum dicimus substantiam prædestinati esse effectum prædestinationis secundum aliquam circumstantiam, vel ordinem ad finem supernaturalem, vel intelligimus solum ipsum modum, vel respectum superadditum esse effectum prædestinationis, vel etiam ipsam substantiam, quæ illi modo substeritur, causari et effici a prædestinatione. Si primum: ergo solum facimus prædestinationis effectum, id quod superadditur prædestinato, non substantiam ejus, et de hoc nulla est dubitatio: quidquid enim supernaturale est, sive accidens, sive modus, prædestinationis effectus est, et quidem elicitive, non imperative: de effectu autem elicito hic non disputamus. Et non facile explicatur quis sit iste modus superadditus substantiæ prædestinati, ratione cujus sit effectus prædestinationis etiam ipsa substantia prædestinati. Si dicatur secundum, jam prima pars conclusionis non verificatur: tunc enim substantia prædestinati, ut naturalis est in se, erit effectus prædestinationis. Dicere autem quod non ipsa substantia secundum se, et in abstracto, sed generatio ejus, et productio in exercitio est effectus prædestinationis, nihil est; tum quia substantiæ rerum sic consideratæ, in abstracto nullius causæ effectus sunt, sed sub productione, et exercitio; tum quia ipsa productio, et generatio est indifferens ad prædestinationem, et reprobationem, cum sit aliquid naturale, et commune omnibus: ergo ratione sui non potest substantia